

## Articulus II.

DE TEMPORALI PAROECIAE ADMINISTRATIONE IN SPECIE,  
EIUSQUE ADIUMENTIS.

## § I. — De Ecclesiae bonis in genere.

SUMMAE RERUM. — 533. Animadversiones praeviae. — 534. Canonicae in re leges quae sint. — 535. Quaedam pastorales industriae recoluntur.

533. — Ecclesia, tamquam societas perfecta a Christo Domino fundata ac instituta, quum ad salutis ministerium in terris exercendum et terrenis quoque egeat praesidiis, temporalia bona, iure sibi proprio, acquirit possidetque. Ecclesiastica, enim, bona, Deo dicata cultus splendori, pietatis operibus, ac ministrorum suorum sustentationi addicuntur, quo eo ipso quidquid ad hos religiosos usus destinatur, sacrum inviolatumque omnibus efficitur.

534. — Quoad universa Ecclesiae bona, quae praestare, vel cavere Pastor debeat, potiusquam ex nostris, ex iuris canonici<sup>1</sup> verbis percipere est, quorum praescriptiones huc redeunt:

I. Ecclesia plenum jus habet, et quidem divinum, ad temporalia bona sive mobilia, sive mobilia possidenda, novaque adquirenda, independenter prorsus ab auctoritatis civilis licentia<sup>2</sup>.

II. Eadem valet doctrina de inferioribus adsociationibus ecclesiastico jure constitutis, quibus tenetur Status sic dictam « personalitatem civilem » agnoscere.

III. Nullum ex hoc jure praepjudicium timendum habet societas civilis, sive ob nimiam amplitudinem bonorum Ecclesiae, sive ob eorum immobilitatem [manus mortua] et taxam, ut aiunt, « mutationis » in illo casu deficientem<sup>3</sup>.

IV. Pari jure, Ecclesia bona sua quaecumque, independenter a civili legislatione, potest administrare, nec ulla, in hac materia Statui competit auctoritas.

V. Ecclesia, quae sunt sibi necessaria subsidia, ab individuis aut a societatibus jure exigit, juxta quantitatem et modum ab ipsa libere determinandum<sup>4</sup>.

VI. Legitima fuit, ergo, antiqua oblationum, decimarum et primitiarum perceptio, legitima beneficiorum constitutio; et hodie, non sine gravi injustitia, debitum pro cultu stipendium [budget des cultes, fondo pel culto] Status denegaret Ecclesiae, ubi ipse sibi bona ecclesiastica per violentiam, vel fraudem comparaverit.

<sup>1</sup> Cfr. Deshayes et DD. cit.

<sup>2</sup> Syllab. 26, 27: Pius IX. Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 sept. 1851. *Numquam*, 15 dec. 1857; Encycl. *Incredibili*,

17 sept. 1863; Trid. XXII, 11, *De Reformatione*; Constit. *Apostol. Sedis*, § II, n. 11.

<sup>3</sup> Cfr. Cavagnis, *Op. cit.*, III, n. 387.

<sup>4</sup> Cfr. Id. n. 396.

VII. Eodem, et quidem urgentiori jure, Sancta Sedes potest ab universi orbis fidelibus expectare et exigere ea quae sunt ad S. Pontificis et Romanae Curiae congruam sustentationem requisita; Papa, enim, propriae nulli societati extraneus est, sed Princeps et Pater omnium fidelium<sup>5</sup>.

VIII. Diversa ratione, bona ecclesiastica sunt Dei, S. Pontificis, ecclesiarum et pauperum; suprema tamen de iis legislatio et administratio ad S. Sedem pertinet.

IX. Bona ecclesiastica sunt, jure divino, res sacrae, atque idcirco inviolabiles et a civilibus oneribus immunes<sup>6</sup>.

X. Eodem jure inviolabilia sunt Ecclesiae bona, atque gravioribus poenis plecentur usurpatores bonorum Ecclesiae in genere<sup>3</sup>, et speciatim bonorum Ecclesiae Romanae<sup>4</sup>.

XI. Eodem jure, regulariter ecclesiastica bona esse debent a civilibus oneribus immunia.

XII. Quidquid sit de controversia Doctorum circa subjectum ecclesiastici<sup>5</sup> domini, certum est plenum jus supremae administrationis bonorum Ecclesiae ad Romanum Pontificem pertinere<sup>6</sup>.

XIII. Infra R. Pontificem, et dependenter a generalibus statutis canonum, administrativa cura bonorum ecclesiasticorum penes Episcopos, Praelatos et Pastores ecclesiarum singularum existit.

XIV. Bona alia sunt mobilia [praedia, domus, agri, jura et actiones ad mobilia, census et redditus annui, pecunia ad emptionem immobilium destinata], alia mobilia pretiosa [quae propter pretium, artem, raritatem, antiquitatem, etc., speciali valore donantur, v. g. vasa aurea vel argentea, vestes pretiosae, gemmae, picturae famosae, copiosa bibliotheca, rarissima antiquitatis vestigia, etc.]; alia demum mobilia non pretiosa [quibus aequiparantur in jure mobilia modici valoris et ea quae communi usu servando, ut aiunt, servari non possunt].

XV. Praecipui actus administrationis circa bona temporalia Ecclesiae referuntur ad: a) confectionem inventarii, b) conservationem, c) fructificationem, d) perceptionem et usum reddituum, et praesertim, e) ad alienationem de qua bene multa gravioris momenti praecepta in sacris canonibus habentur. Ad rem:

a) Alienatio<sup>7</sup> in jure canonico est quaelibet translatio vel imminutio domini pleni vel utilis, ita: venditio, donatio, locatio ad longum tempus [id est, ultra triennium], permutatio, oppignoratio, hypotheca, emphyteusis, impositio novi gravaminis, servitutes, census. Generali principio, prohibetur omnino alienatio quaecumque bonorum Ecclesiae<sup>8</sup>; non tamen eadem ratione diversis bonorum generibus praedicta lex venit applicanda.

b) Juxta legem statutam in Const. *Ambitiosae*<sup>9</sup>, bona mobilia vel mobilia pretiosa valide non possunt alienari nisi justa adsit causa et servatis « solemnitatibus » a jure praescriptis. Haec autem lex, a Leone XIII nuper innovata<sup>10</sup>, nulla unquam consuetudine, etiam immemorabili, censeri potest abrogata.

<sup>1</sup> Cfr. Phillips, *Kirchenrecht*, §§ 235-238; Cavagnis, *Op. et loc. cit.*, III, n. 409.

<sup>2</sup> Pius VI, brev. *Quod aliquantum*, 10 mart. 1791, § *Transimus*.

<sup>3</sup> C. *Apostolic. Sedis*, I, II; Trid. XXII, 11.

<sup>4</sup> C. *Apostolic. Sedis*, I, 12.

<sup>5</sup> S. Alph., IV, 492.

<sup>6</sup> S. Thom. S. Th. II, II, 9, 100, a. I, ad 7.

<sup>7</sup> Cfr. D. D. ad tit. *De rebus Ecclesiae non alienandis* [X, III, 13].

<sup>8</sup> Cfr. decret. Urbani VII, 7 sept. 1624.

<sup>9</sup> Extravag. comm. C. tit. IV.

<sup>10</sup> Cfr. S. Poenitent. 15 april. 1892.

c) Res mobiles pretiosae quae « servando servari non possunt », et res immobiles modici valoris, possunt alienari ad utilitatem ecclesiae absque praefatis solemnitatibus<sup>1</sup>. Pretiosa practice dicitur res cujus valor circiter 30 scutata aurea de Camera [275 fr.] superat.

d) Justae causae alienationis sunt: necessitas, aut etiam evidens utilitas ecclesiae, exercitium christianae charitatis<sup>2</sup>.

e) Solemnitates a jure praescriptae sunt: tractatus praevius<sup>3</sup>, consensus Capituli<sup>4</sup>, Praelati auctoritas, consensus R. Pontificis

f) Reclamare possunt et debent contra male factam alienationem: rector seu Praelatus ipse qui male alienavit, successores eorum; iis negligentibus, omnes clerici addicti ecclesiae quae laesa fuit per alienationem; his deficientibus, ipsi etiam laici fideles. Bona male alienata restitui debent a possidentibus. Non licet alienare bona de quibus dubitatur an sint ecclesiastica.

g) Excommunicationem latae sententiae<sup>5</sup> [nemini reservatam] incurrunt alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica, absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravag. *Ambitiosae*, ex Const. *Apost. Sedis*. — Fures hac excommunicatione non plectuntur. Insuper, invasio bonorum Ecclesiae generatim plectitur excommunicatione latae sententiae R. Pontifici reservata<sup>6</sup>, ex eadem Const.

535. — Sed, ne heic quoque pastoralia quaedam monumenta desint, rectus tractationis ordo postulat, quae ita, paucis, perstringimus:

a) Meminerint Pastores pecuniam bonave sibi administranda tanquam Parochi concredita, bona esse ad Ecclesiam spectantia. Quare si in ipsa pecuniae propriae contrectatione cauti, fideles et prudentes esse debent, multo magis ad id tenentur quum de alienis, maxime quum de ecclesiasticis opibus, sanctis illis ac religiosissimis, quid disponunt. Prout, enim, ad districtam reddendam rationem coram Deo et hominibus obligantur, ita etiam [gravi conscientiae officio] tenentur ut eas ad normam SS. Canonum, peculiarium legum et consuetudinum administrant ac utantur. Quapropter Pastor illud diligenter, administrandi, scilicet custodiendi, augendi, defendendi, recuperandi, iuxta iuris praescripta et diocesanarum regulas, bona temporalia quae ad suam Ecclesiam pertinent, inter prima sua officia computare debet. — In ecclesiasticarum proprietatum obtinendis titulis quibus temporalia Ecclesiae bona nitantur summam Pastor adhibeat vigilantiam, quibus, ut securius consulant, ut ad iuris civilis praescripta sint exacta, curabit<sup>7</sup>.

b) Meminerint quoque Pastores quidquid ex beneficii fructibus, post cultui ac statui sustentationem congruam, supersit, id Christo, in Ecclesia et pauperibus, reddant oportet. De quo pluries diximus.

<sup>1</sup> Bonix, *De jure Regul.*, II, 290.

<sup>2</sup> *Aurum*, C, XII, 9, 2.

<sup>3</sup> C. *Sine*, C, XII, 9, 2; C. *Dubium*, h. t. in 6°.

<sup>4</sup> C. *Sine*, cit.

<sup>5</sup> C. *Apostolic. Sedis*, § IV, n. 3.

<sup>6</sup> Id., § I, n. 11, 12.

<sup>7</sup> S. Offic. 23 jan. 1886.

c) De famulis vero et ancillis audientes sint verbi Dei praecipientis: *Quicumque tibi aliquod operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat*<sup>1</sup>. Mercedem eorum famulatu debitam, debito tempore persolvant, ac nullo modo, neque depositi titulo, etiam ipsis petentibus famulis, retineant consulendum est. Domesticorum curam paterno affectu habere Pastoribus sanctum est, sed ut ancillae aeris alieni nomine ipse devinciantur, indecorum plane est; quo dum hac ratione in servitute, ordine suo indignam, rediguntur, quodcumque huic rei ansam praebere possit, potius quam imminuere, audent.

d) Ut Ecclesiae res augeantur sedulo Pastor curabit, qui ut in hoc liberaliter fideles omnes se habeant, sedulo suadebit. Suis, enim, et quidem sanctissimis bonis omnino inique exspoliata Ecclesia, fere ubique filiorum suorum eleemosynis vitam ducit, et quum, nostris praesertim temporibus, innumerae in societate universa necessitates ubique habeantur, adeo misere, ut plurimum, vivit, ut diabolicas Crucis Christi inimicorum industrias imperfecte tantum dispellere valeat. At de hoc plura mox.

e) Quoad bonorum Ecclesiae alienationem, non tantum canonicas, sed et civiles leges obsequantur Pastores, quae postremae gravissimis, interdum poenis, in rem animadvertunt<sup>1</sup>.

## § II. — De quibusdam peculiaribus Ecclesiae bonis, et primum de *certis*.

SUMMAE RERUM. — 336. De paroeciali beneficio in genere. — 537. Canonum ad rem leges recoluntur. — 538. Pastoralia monumenta exhibentur. — 539. De legatis ac foundationibus piis quoad jus canonicum. — 540. Pastorales in re industriae sequuntur. — 541. De missarum eleemosynis. — 542. De stolae iuribus juxta canones. — 543. Quae in his exigendis prae oculis habere Pastor debeat.

536. — Inter paroecialia bona certa [hae, nempe, quae, communibus in adiunctis, certum proventum Pastori donant] beneficia paroecialia primas partes obtinent, quae vel ex bonis immobilibus [ut sunt domus, agri et similia], vel ex mobilibus [pecunia ab Ecclesia, a Statu vel a Patrono et similibus percepta] constare possunt, ex quibus pro honesta Parochi sustentatione ac horum omnium quae ipsi directe spectant ne-

<sup>1</sup> *Tob.* IV, 15.

<sup>2</sup> *Pro Italia* cfr. Calchi-Novati, *Op. cit.* libro III, § IV.

cessaria conflantur. In re quae de bonis ecclesiasticis omnibus mox recolimus ac pro beneficiis ecclesiasticis omnibus ex iure canonico, nunc indigitamus prae oculis habeantur.

537. — Haec postrema huc redeunt<sup>1</sup>:

I. Beneficium iure canonico definitur: « jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, ratione spiritualis officii, ecclesiastica auctoritate constitutum. » — Quatuor ergo requiruntur ad beneficium: a) officium spirituale; b) jus perpetuum [sive personae, sive officio adnexum]; c) fructuum adsignatio ex bonis Ecclesiae; d) erectio canonica.

II. Differt beneficium proprie dictum: a praebenda<sup>2</sup> [quae est beneficium canonicum adnexum], a patrimonio [quod proprie non est bonum ecclesiasticum], a pensione [quae est pars ad tempus detracta ex beneficio], a capellania laicali aut manuali [quae pro libitu concedentis confertur], a legatis piis et foundationibus.

III. Distinguuntur beneficia: a) « ratione personae » cui conferuntur, in saecularia et regularia; b) « ratione modi quo fit collatio », in collativa libera, electiva, patronata reservata et non reservata, patrimonialia; c) « ratione dignitatis » in majora [curam animarum cum externa jurisdictione episcopali vel quasi-episcopali habentia], et minora, episcopalibus et abbatialibus inferiora; d) « ratione stabilitatis » in perpetua seu beneficia proprie dicta, et manualia, quae propter eorum perpetuitatem « objectivam » aliquatenus ad naturam beneficii accedunt.

IV. « Ratione officiorum » quibus adnectuntur, beneficia distinguuntur: a) in residentialia et non residentialia; b) in compatibilia et incompatibilia; c) in duplicia quae adnexam habent jurisdictionem aut curam animarum, aut administrationem, aut praesentiam [ita beneficia parochialia et curata, dignitates, personatus, officia, canonicatus ecclesiae cathedralis, etc.], et simplicia quibus sola jungitur obligatio communis recitandi horas canonicas.

V. Majora beneficia erigit solus R. Pontifex. — Potest Episcopus erigere beneficium simplex, necnon ecclesiam parochialem et canonicatum in Capitulo non numerato. — Praeterea, requiritur titulus, legitima dotis constitutio, et decretum erectionis in forma sacris canonibus consentanea expressum.

VI. Quatuor praecipue modis beneficium acquiritur, videlicet: electione, postulatione, praesentatione, et libera collatione. — Ad praesentationem jurispatronatus accedit recentior forma nominationis a civili Principe.

VII. Omnium beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad R. Pontificem pertinet; supremo jure gaudet erigendi, mutandi, supprimendi atque conferendi omnia beneficia<sup>3</sup>.

VIII. Multa fuerunt olim, et hodie, stricto jure communi, supersunt beneficia reservata<sup>4</sup> apud Sedem Apostolicam. Alia directe reservantur, ratione qualitatis, personarum, loci, modi, temporis; alia indirecte, per affectum et devolutionem.

IX. Beneficia ad suam auctoritatem spectantia conferunt, ordinario jure,

<sup>1</sup> Cfr. Deshayes ac DD. cit.

<sup>2</sup> Cfr. DD. in tit. *De Praebendis*, X, III, 5.

<sup>3</sup> Clement. IV, C. *Licet*, 2, de *Praebend.*, in 6<sup>o</sup>.

<sup>4</sup> D'Annibale, III, 33.

Episcopi; alii autem inferiores Praelati, superiores, collegia, jure delegato, privilegio aut praescriptione<sup>5</sup>.

X. Tempore legitimo, in scriptis, gratis et sine ulla diminutione<sup>6</sup> vel divisione tituli aut reddituum, et absque ullo pacto, conditione vel modo, beneficia debent conferri.

XI. Ut quis ad beneficium idoneus<sup>7</sup> habeatur, requiritur: a) natalium legitimitas, b) tonsura, c), ordo clericalis quem postulat beneficium, d) aetas competens, e) sufficiens scientia, f), probitas morum, g), dotes speciales a beneficio vel officio requisitae, h) carentia impedimenti canonici.

XII. Beneficia ecclesiastica non nisi dignis, et inter dignos dignioribus conferantur<sup>8</sup>.

XIII. Episcopus, salva remanente lege concursus [saltem pro parochiis inamovibilibus], est ordinarius collator omnium parochiarum suae dioecesis quae sunt libere collationis.

XIV. Immutantur beneficia per unionem, divisionem, dismembrationem et suppressionem. Odiosa est in jure quaecumque mutatio diminutiva beneficiorum, et ideo, non intuitu personae, sed propter evidentem utilitatem ecclesiae, quandoque toleratur.

XV. Quocumque modo fiat unio [per confusionem, exaequationem aut accessionem]: a) eadem auctoritate qua ipsa erectio, debet perferri<sup>9</sup>; b) gravem et publicam ecclesiae necessitatem requirit<sup>6</sup>; c) peragenda est in forma a jure praescripta et citatis atque auditis omnibus quorum interest ac requisito Capituli consensu<sup>7</sup>. — Prohibetur unio beneficiorum de una dioecesi ad aliam<sup>8</sup>.

XVI. Non licet clericis quomodocumque, etiam per viam unionis ad vitam, plura simul curata, vel alias incompatibilia beneficia retinere<sup>9</sup>.

XVII. Divisio [qua, ex uno, plura beneficia constituuntur], dismembratio [qua, salva unitate beneficii, pars aliqua distrahitur ab ipso, ut alteri adjungatur] et suppressio [qua beneficium plane destruitur] fieri nequeunt, nisi gravi de causa, ad utilitatem ecclesiae spectante, et servatis de jure servandis, vocatis praesertim in cognitionem causae omnibus interesse habentibus.

XVIII. Vacat beneficium per mortem possidentis, per privationem, dimissionem, permutationem, translationem.

XIX. Invito possessore, vacat beneficium per mortem, matrimonium aut professionem religiosam beneficiarii; amittitur etiam privatione poenali, ferendae vel latae sententiae, remotione oeconomica seu administrativa in jure statuta<sup>10</sup>.

XX. Libera voluntate, vacat beneficium per dimissionem, permutationem, vel resignationem possidentis, quae expressa aut tacita, absoluta vel conditionata esse potest.

<sup>1</sup> C. I. *De capell. Monach*, X, III, 37;

<sup>2</sup> DD. ad tit. *Et eccles. beneficia sine diminutione conferantur*, X, III, 12.

<sup>3</sup> S. Alph., C. VI, n. 12: D'Annibale, III, 37.

<sup>4</sup> Trid. XXV, 18; S. Thom., II, II<sup>ae</sup> q. 185 a. 3 — Cfr. D'Annibale, III, 38 [23]; S. Alph., III, 97.

<sup>5</sup> C. 8, de *excessib. Praelator*, X, V, 31.

<sup>6</sup> Clem. II, *De reb. eccles. non alienand.*, X, 111, 13; Trid. VII, 6.

<sup>7</sup> C. 7, *De donationib.*, X, III, 24.

<sup>8</sup> Trid. XIV, 9.

<sup>9</sup> Id. VII, 4; *Extra comm.*, 4, h. t.

<sup>10</sup> Cfr. decret. *Maxima cura*, 20 aug. 1909, pag. 217.

XXI. Ut valida sit renuntiatio, requiritur *a)* juridicaabilitas ex parte personae et beneficii, *b)* justa causa, *c)* debita forma, *d)* acceptatio superioris.

XXII. Valida et licita est beneficiorum permutatio ob justam causam, auctoritate Ordinarii peracta.

XXIII. Vacante beneficio, deputatur Vicarius qui ejus spirituale munus et administrationem suscipit, cum assignatione congruae portionis, e fructibus beneficii detrahendae.

538. Ne plura ingeminemus, sequentia tantum maioris ac practici momenti pastoralia monita Pastori recolenda autumamus:

*a)* Ante investituram, iurium omnium, seu possessionis ac proprietatis titularum, ex quibus universas ipsius parochialis beneficii substantias conflantur, exactum inventarium seu elenchum Pastor recipiat, quod, tum in proprium, tum in successorum suorum commodum, diligentissime custodiat.

*b)* Antequam immobilium possessionem adeat, accuratissime eorum singulorum conditionem a peritis taxari iubeat, ac ne de eorum incuria tum apud Deum, tum apud homines incusari possit, hanc relationem sedulo examinet.

*c)* Peculiare regestum habeat in quo, tum beneficii redditus, tum eius expensae hinc inde adeo diligentissima cura adnotet, ut Ordinario, quoties illi liberit, propriae villicationis testimonium exhibere valeat<sup>1</sup>.

*d)* Absque debita competentis Auctoritatis venia, nil de rebus ad beneficium pertinentibus vel, de his quae tum a Statu, tum ab Ordinario suae curae commissa sunt, nullo modo nullaque ratione alienari vel immutari permittat Pastor; quo si una ex parte gravissime contra canones offenderet, et in civilium legum poenas incurreret. Et de hoc diximus<sup>2</sup>.

*e)* Immo ut haec bona omnia, debita ratione, serventur, ac dum licet adaugeantur, ac semper trita usu, sedulo reparentur, curabit Pastor. Enimvero, ex. gr., an hi qui, avaritiae vel saltem nimiae parsimoniae aut negligentiae causa, immobilia bona adeo negligunt ut nil nisi ruinas et macerias successori tradant, laude digni sint, cordati viri dicant.

*f)* In immobilium locatione, communes tantum redditus exposcant Pastores, hos, nempe, qui locorum ac temporum attentis circumstantiis, ut plurimum, in usu veniunt. Insatiabilitas, enim, illa qua, nostris praesertim temporibus, complurimi foedantur laici, in sacerdote, immo in animarum Pastore, non tantum semper dedecet, sed et quam maximum fidelibus scandalum parit, ac pastorali ministerio nocet.

*g)* Debita vero absque venia, *Ecclesiae* bona [quae nempe cultui destinata sunt] ad proprium usum quoquomodo convertere Pastores ne

<sup>1</sup> Cfr. Berengo, *Op. cit.*, n. 239 et seq.    <sup>2</sup> Cfr. indic. alphabetic. *Administratio*.

audeant, quamvis beneficii exiguitas id suaderet. Horum, enim, divisio in peculiari fine ipsis praestituto perspicue continetur, quod si quis immutet, et iustitiam laederet.

539. — *Pias Foundationes seu Legata*, absolute loquendo, tum ad Ecclesiam [quod frequentius et communius] tum ad praebendam paroecialem spectare possunt, et, utrisque in adiunctis, certum redditum, [vel Fabricae, vel Parocho, iuxta canones ac synodalia in re quam maxime varia decreta administrandum commissum] constituunt. Quae in re canones<sup>1</sup> jubeant sic accipere:

I. *Fundatio* seu stabilis reditus, piam ob causam [sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem] constitutus, dicitur quaelibet donatio facta Ecclesiae, sub onere officii cujusdam ecclesiastici persolvendi, ac praesertim sub onere missarum.

II. Ad rectam *foundationis* *acceptationem*, requiritur tum consensus administratorum Instituti in cujus favorem constituitur, tum consensus legitimi superioris [Episcopi vel Praelati] ad quem spectat invigilare ne foundationibus ultra modum Ecclesiae onerentur<sup>2</sup>.

III. Haec potissimum cavenda sunt in foundationibus: *a)* ut reditus pro praesenti sint sufficientes, *b)* ut tempore futuro, juxta probabilem praevisionem, reditus impares non evadant, ne reductioni locus habeatur, *c)* ut donatio, praeter onera ipsius foundationis, ceteras expensas valeat solvere, *d)* ut, quantum fieri potest, legum civilium iuxta statuta serventur.

IV. Nec praeteritae, nec futurae foundationis onera possunt, absque beneplacito Apostolico, *reduci*<sup>3</sup>.

V. Non potest Episcopus legatum foundationis absque gravi causa respuere, quia haec recusatio, in jure, alienationi aequiparatur.

VI. Quoad interpretationem et executionem foundationis, *summa* lex est voluntas fundatoris; et ille debet onera foundationis, tempore, loco et modo praescriptis, cui, ex donatoris intentione, fuerunt commissa.

VII. Parocho competit jus et officium exonerandi foundationes in ecclesia parochiali constitutas; immo, manualia stipendia Missarum prohibetur accipere, priusquam oneribus foundationis satisfecerit.

VIII. Parochus qui per se non valet onera foundationis exsequi, curare debet ut per alios, cooperatores praesertim, persolvantur.

IX. A praescriptis conditionibus foundationis proprie non dispensat nisi solus R. Pontifex. Episcopus tamen potest, per modum interpretationis, indulgere ut mutentur accidentalia quae sine incommodo servari non posse videntur.

X. In singulis ecclesiis apponi debet catalogus sive *tabella onerum* quae ipsis fuerunt per foundationes pias commissa, si quae ex conscientia ac fiducialia sunt excipias; item, in sacrestia, liber missarum manualium asservetur<sup>4</sup>.

XI. *Cessant onera* foundationis: *a)* si reditus assignati perierunt [non autem diuturna suspensione executionis, aut praescriptione], *b)* condonatione S. Pontificis, quae nunquam censetur pro oneribus praeteritis concessa nisi id formaliter exprimat.

<sup>1</sup> Cfr. DD. cit.

<sup>3</sup> Trid. XXV, 8.

<sup>2</sup> S. C. C., 23 nov. 1697 — Cfr. Trid. XXIII, 8.

<sup>4</sup> Decret. *Nuper*, Urb. VIII et Inn. XII; S. C. C., 23 nov. 1697.

XII. Si reditus imminuti fuerint, onera proprie dicta, reductione, per Sedem Apostolicam possunt restringi. — Reductionem improprie dictam Episcopi, per modum indirectae interpretationis et declarationis, possunt; non tamen in substantialibus, adhibere.

XIII. Reductio onerum legitime petitur quando, bonorum deperditione vel decremento, vel crescente pretio victualium, vel impositione novi tributi, aliisque de causis, talis habetur immutatio ut non amplius proportio, a contrahentibus intenta, inter reditus et onera subsistat.

XIV. Si fieri oporteat reductio onerum foundationis, omnia tentanda sunt priusquam Missarum onera reducantur.

XV. Quaecumque ratione fiat reductio, serventur regulae in hac materia a Benedicto XVI<sup>1</sup> et indulto Apostolico reductionis praescriptae.

XVI. Testamentum<sup>2</sup> «privilegiatum» [ad causas pias et legata pia] valet etiam destitutum solemnitatibus a lege praescriptis, dummodo omnia concurrant quae sunt ad validitatem donationis jure naturali requisita, et quocumque certo modo constet de voluntate testatoris<sup>3</sup>.

XVII. Episcopus compellere potest executores testamenti et fideicommissarios ut adamussim pias voluntates testatoris adimpleant.

XVIII. Piarum voluntatum commutatio<sup>4</sup> reservatur Sedi Apostolicae. — Episcopi possunt voluntatem testatoris interpretari, ita tamen ut commutatio proprie dicta non verificetur<sup>5</sup>.

XIX. Jure communi, bona ecclesiastica non sunt ad profanos usus divertenda. Cavere, igitur, debent clerici ne causas pias peculio beneficii superfluo<sup>6</sup> defraudent, et plus aequo consanguineos vel familiares ditent.

XX. Attentis circumstantiis<sup>7</sup>, quae passim impediunt quominus Ecclesia sit haeres «ab intestato» clerici decedentis, obsecrantur in Domino clerici omnes, Parochi praesertim, et quomodocumque publica munera ecclesiastica obeuntes, ut testamentum suum debita forma conficiant.

540. — At haec quoque pastoralia quaedam monumenta sequantur, nempe:

a) Ut haec piae foundationes ac legata fideles instituant privatim adhortentur Pastores, quin tamen adeo in re eos urgeant ut quasi haec venari videantur.

b) Ut, in quantum circumstantiae sinunt, dum bene se habent ac brevi manu, non vero in mortis constituti agone, per testamentum ac heredes hoc faciant, eos suadebit.

c) Ut, opportuna ratione haec legata ac piae foundationes constituentur curabit Pastor, qui in peculiaribus discernendis, consilium ab Ordinario sciscitabitur, cuius venia ad constituenda legata tum ipse,

<sup>1</sup> Synod., XIII, XXV.

<sup>2</sup> Cfr. D'Annibale, II, 336.

<sup>3</sup> S. C. C., 13 sept. 1854, 20 febr. 1855; S. Poenit. 23 jun. 1844 — Cfr. Trid. XXII, 8.

<sup>4</sup> Ita S. C. C. et S. R. Rota pluries.

<sup>5</sup> Trid. XXII, 6, 8; S. Alph. III, 931.

<sup>6</sup> Cfr. DD. ad tit. *De peculio cleric.*

X, III, 25.

<sup>7</sup> S. Poenit., 18 april., 1868.

tum sacerdotes ac laici indigent, quae et pro eorum administratione ac onerum inpletione requiruntur<sup>1</sup>.

d) Nisi peculiares synodales ordinationes *fiducialium* legatorum ac piarum foundationum administrationem Curiae committant, hanc pecuniae vim adeo Pastores occupent ut, dum aliquos fructus ex ea percipiunt, et eius securitas in tuto sit; qua in re, consilium ab Ordinario exquirere plurimum interest. In coeteris insuper omnibus *non fiducialibus* [ac ideo, ut plurimum, Fabricae demandatis] ne legali [?] expilationi vel latrocinio praetextus exhibeantur, ut, in quantum fieri potest, in tuto ponantur, civiles leges adamussim servare oportet.

e) Ut foundationis instrumentum, in quo una cum missarum vel functionum numero ac ratione, eleemosynae quantitate et altaris designatione, summae in singulis annis perceptae ac erogatae, hypothecae si adsunt, reductiones ac rescripta obtenta si habeantur, ceteraque omnia quae ad perspicuam legati notitiam necessaria videantur, peculiari in regesto adeo diligenter describantur ut non tantum sibi, sed et successoribus suis ac Ordinario praesto sint, Boni Pastoris cura erit<sup>2</sup>.

f) Perquam sanctissime, ad unguem, in omnibus semperque harum omnium foundationum ac legatorum onera, servanda esse iam monuimus alibi, et ut, sub Dei Omnipotentis, Ecclesiae ac Superiorum suorum strictissimis poenis, hoc Pastores praestent, iterum recolimus. *Multi, enim, dati sunt in [sacri] auri casus, et facta est in specie ipsius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium; vae illis qui sectantur illud et omnis imprudens deperiet in illo*<sup>3</sup>.

g) Tandem a Piarum Foundationum ac legatorum omnium oneribus ne nimis facile radicales dispensationes, immo, et partiales reductiones Pastores postulent, quamvis ad divinum augendum cultum ac ad Ecclesiam reparandam utiles censeantur. Tunc quoque Ordinarius semper sciscitandus est, cuius absque sententia [ut per se patet] nil in re a SS. R.R. Congregationibus decerni solet.

541. — Et missarum eleemosynae si non in quantitativo singulo, in eorum saltem numero inter *certos* Pastoris redditus enumerandae veniunt, relate ad quas canonum iussa alibi recolimus<sup>4</sup>. Quae vero in re Pastori suadenda sint, in eorum omnium sedula observantia summatim continentur.

542. — Notissima [uti aiunt] stolae iura, quae pluries innuimus, Parochi incerta *certa* constituunt, de quibus sequentia canonicum ius edicit:

I. Iura stolae dicitur ius quod Parochus habet aliquid exigendi pro baptismo, proclamationibus, assistentia matrimonii, sepultura, nec non pro testimoniis e libris

<sup>1</sup> S. C. C. in *Bellovac.* augusti, 1909.

<sup>2</sup> Cfr. S. Offic. 26 jun. 1886.

<sup>3</sup> Eccles. XXXI, 6, 7.

<sup>4</sup> Cfr. indic. alphab. *Missae, Onera.*